



**Robert Tvrneri Devonii Oratoris Et Philosophi  
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

**Turner, Robert**

**Ingolstadii, Anno M. DC. IX.**

Robertvs Tvrnervs Ioanni Bervitio S. P. D. Avgvstam. XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](#)

quidem, te amare, me amari. quid hoc rei est? me contemni à VITO? non putassim. tamen si ia sit, etiam mone me contemni, & amantem, & elicienter literas, & promittentem operam, & offerentem studia. & stultum TURNERVM, qui sic amat; o ingratum VITVM, qui sic amatur sed nolo esse querulus. quamquam si sum querulus, vides amorem, qui siue queratur, siue taceat, ita ardet, ut malit queri, quam taceare soleat tamen aliquando tacere, ne videatur queri. sed silentio volo te posthac excitare ad scribendum, cum literis nō possim invitare: ac ne in literis fortasse sit tedium, erit breuitatis quoddam quasi silentium. Vale, ama, rescribe. Ingolstadij.

ROBERTVS TURNERVS  
IOANNI BERVITIO S.P.D.

ARGVSTA M.

XIX.

**C**eci sunt (mi BERVITI) & duces cæcorum, qui ex Aristotelis aut Platonis umbraculis non ita pridem prodeunt in mundi quendam quasi solem & puluerem, omni orationi vehementia, tanquam contento arcu, conantur hominibus imprimere, nihil esse terius curiositatis labore narrant isti quidem probabilia, quia pulchre; sed narrant male, quia perniciosa, nam curiositas in multis labes nō est, virtus est.

y 2      viii

vin' videre? nisi sint in Repub. qui hominum tentem  
ingenia, gustent venas, indagent intimos sensus, late-  
bit semper perniciose vel illud putidum, quod debet  
refecari à Magistratu; vel hoc deforme, quod solet ir-  
rideri à Satyrico. quare cum Magistratus esse non pos-  
sim, Satyricus esse possum, volui quemadmodum reli-  
quis omnibus in locis. sic Augustæ maximè in Comi-  
tis esse curiosus. volui irrepere, volui irrumpere in in-  
timas aulas Principum, volui videre omnia, ut omnia  
librarem, & ad iustitiae normam præclare exigerem.  
qua mea vel curiositatis diligentia, vel diligentia cu-  
riositate conquisi materię Satyræ acrem, volupta-  
tis mellitam, utriusque vberem. nam vix cooperam  
obire Principum aulas, cum rideam hereticum illum  
mundum administrari à stultis. in Catholicis aulis  
intuensi Vitellios, Furios, Camillos, Senecas, qui fron-  
te, verbo, fide, literis tuerentur locum. in aliis? extra  
paucos viros, Principes illos & Deos, putato lustra,  
popinas, officinas, malarum artium fœdarum libidi-  
num, fraudum insanarum. etiam heretici misstro-  
stris aulis, Iesu bone, in pulchro corpore quam sedi-  
naui? etiam in illis secretioribus, que partim rideba-  
mus stulta, partim gemebamus flagitiosa, nonne vi-  
des materiem pulchram? ego video, gaudeoq; toto  
pectore, me ex illis iam scopolis & vadis in quandam  
quasi portum configisse otij, quod habet laboris fru-  
ctum; negotij, quod habet quietis suavitatem. unde  
quasi ex specula intuens bas stultias, miseras, III.

des, institui Satyram in aulam ab antiqua forma de-  
generantē, atq; ita institui, vt si legeres principij pa-  
radoxā, plane mirareris in felle mel, aut potius in  
melle quoddam quasi fel. neq; hoc dico, vt ex argutulo  
hoc genere libem mihi ingenij laudem, sed vt videoas  
aulas illas stulte ineptas, quæ Turneros etiam possint  
cudere argutos. ac ne mireris, orationem de Satyræ  
tam altè repeto, non vt tibi obiiciam mei studij quā-  
dam speciem (lusus enim hic est, non studium) sed vt  
ipse tibi caueas ab hoc aculeo. nam de Protonotaria-  
tus honore curando virtuti & doctrinæ nostri Vische-  
ri si mihi aulicus sis, id est, quam mihi dedisti fidem, si  
non liberes, iuro tibi Satyræ Deos Momos & Mimos,  
quò es minor homo, ed eris Satyræ huius maior pars.  
non te, vt reliquos, mordebo aut vram, sed delumba-  
bo, & exosabo, aut si quid grauius ex Plauto meo  
possim eruere ad te perdendum. audin' sis mihi BER-  
VITIVS hac in re, per fidem tuam, per amore meam:  
facq; expediendo quām citissimè, te vt amem candidū,  
non pungam callidum. ille, quem cupio ornardum, vir  
est multi usus, doctrinæ multæ, expers naïui, & exce-  
ptione superior, vt Cardinalis si quem vellet ornare,  
hunc deberet ambire, quē ornet. huius rei has literas  
volo esse testes, testes in terra, testes in cœlo. confirmo  
sæpius, vt si necesse sit, tu id iterum meo periculo teste-  
ris, iures scripsi ad Minutum, sed paucis, vt ad virtu-  
tem honestandam conferat operam. promisit. tu vrge  
bominem, siue currat, siue subsistat. nam nihil est,

I 3

quod

quod cupiam magis, quam huc ornari, mea tua illius  
opera. Vale. & quicquid est, rescribe.

---

ROBERTVSTVRNERVS  
MINVTIO A MINVTIIS S. P. D.

AUGUSTAM.

XX.

Prius amaram, quam videram te. quanquam ut  
me indicem, vix videram te, cum cœperim cogita-  
re, vel te esse Minutium, vel ad tuam normam factum  
esse eum, quem amabam, sed ignorabam Minutium.  
nam colores illi, quibus Minutium mibi pinxerat &  
polierat Beruitius, ita cōgruebant cum tuis moribus,  
ut planè statuerim vel Minutium esse Deū aulicum,  
vel te esse aulicum Minutium. illa lenitas vocis, faci-  
litas morū, ingenuitas vultus, consuetudo cum doctis,  
gratia apud omnes planè loquebantur eum, quē Ber-  
uitius prædicabat. sed tamē nec tam bene prædicabat  
ille, nec tam recte diuinaram ego, ut auderem inuola-  
re in tuum sinum: ita sum vel natura subrusticus, vel  
disciplina non aulicus. nosti ex Cicerone, qui Cicero-  
nem concoxiſti, plus esse constantiae in literis, quam  
fronte verecundorum. nam quæ pudet mutare coram.  
illa literis non pudet exigere. & importuniū effla-  
gitare. quare si forte aduerteris importunum flagita-  
torem, concede humanitati tuae, quod nolles fronti mea.

hunc